

est, ubi post annos arcula cum libris a Terentio quodam exarata; qui libri, quia leves quasdam sacrorum causas continebant, ex auctoritate patrum cremati sunt.

4 Tullus Hostilius, quia bonam operam adversum Sabinos navaverat, rex creatus bellum Albanis indixit, 5
2 quod trigeminorum certatione finivit. Albam propter perfidiam ducis Mettii Fufetii diruit, Albanos Romam
3 transire iussit. Curiam Hostiliam constituit. Montem
4 Coelium urbi addidit. Et dum Numam Pompilium
□ sacrificiis imitatur, Iovi Elicio litare non potuit, ful- 10
mine ictus cum regia conflagravit.

5 Cum inter Romanos et Albanos bellum fuisset exortum, ducibus Hostilio et Fufetio placuit rem paucorum certamine finire. Erant apud Romanos trigemini Horatii, tres apud Albanos Curiatii; quibus foe- 15
dere icto concurrentibus statim duo Romanorum ceciderunt, tres Albanorum vulnerati. Unus Horatius quamvis integer, quia tribus impar erat, fugam simulavit et singulos per intervalla, ut vulnerum dolor
8 patiebatur, insequentes interfecit. Et cum spoliis onustus rediret, sororem obviam habuit, quae viso paludamento sponsi sui, qui unus ex Curiatiis erat, flere
9 coepit. Frater eam occidit. Qua re apud duumviros condemnatus ad populum provocavit; ubi patris lacrimis condonatus ab eo expiandi gratia sub tigillum 25
missus; quod nunc quoque viae superpositum Sororium appellatur.